

le ad datam rectam lineam & in dato angulo; tandem fiat huic Parallelogrammo æquale Triangulum per *Probl. hujus Cap. XIII.* ita ut unum ejus latus unusq; angulus communes sint Triangulo & Parallelogrammo.

*XVI. Quomodo ad datam rectam lineam dato Triangulato æquale Parallelogrammum confici debeat in dato angulo.*

Triangulatum resolvatur in Triangula quam paucissima, fiantq; singulis Triangulis singula Parallelogramma ad datam rectam lineam inq; dato angulo æqualia per *Probl. XIV. hujus capitis*: deinde singula hæc Parallelogramma ita componantur per latera æqualia, ut totum compositum iterum sit Parallelogrammum.

*XVII. Quomodo dato Triangulato æquale Quadratum construere debeat.*

Fiant omnia juxta Problema proxime præcedens: tandem composito Parallelogrammo construatur æquale quadratum per *hujus Cap. Probl. VII.*

*XVIII. Quomodo datis duobus Triangulatis inæqualibus, excessus majoris supra minus haberi possit.*

Si excessum illum in forma Parallelogrammi habere vis, fac ex utrovis Parallelogramma similia, ad eandem nempe lineam eundemq; angulum per *Probl. XVI.* Compositum minus à composito majori si subtraxeris, habebis excessum quæsitum. Sin verò excessum illum vis habere quadratum, tum ex utroq; Triangulato fac Quadrata singula per *Probl. XVII. hujus Cap.* deinde per *Probl. II. hujus etiam Capitis* investiga excessum quæsitum.

*XIX. Quomodo dato Rhombo vel Rhomboidi æquale Parallelogrammum aut Quadratum etiam construere debeat, absq; resolutione in Triangula.*

Appositum Rhomboides  $ABCD$  esto transformandum in Parallelogrammum Rectangulum. In  $A$  &  $B$  extremitatibus  
basis